



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||
quatuor.||**

Durandus <de Sancto Porciano>

Antverpiæ, 1567

Quæstio secunda. Vtrum potentia purè passiva possit liberari libertate
arbitrii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)

habitudinem vocatur voluntas proprie: sed secundum se cundā proprietate vel habitudinē dicitur liberū arbitriū, non ipsa sola, sed etiā intellectus respectu eorundē: libertas ergo nominat illam proprietate voluntatis quā habet respectus eorum ad quā nō necessitat. Et liberum arbitriū nominat voluntatem & intellectum sub hac proprietate. Et utraq; dicitur habitudinū circa intellectum & voluntatem magis debet dici proprietas naturalis, quā habitus: quia habitus semper dicit aliquid additum potētie, & si quandoq; dicitur habitus, & improprie hoc quidem tolerandum est, quo ad primam habitudinē intellectus & voluntatis, secundum quam determinantur ad vnum. Sed nullo modo quo ad secundam, secundum quā habet quandam indeterminationem: semper enim habitus im- portat quandam determinationem potētie.

8 Ad Primū argumentū dicendū q̄ liberum arbitriū dicitur facilitate rationis & voluntatis, nō accipiendū facilitate pro facilitate quā ponit habitus circa difficultia, sed accipitur ibi facilitate pro potestate intellectus & voluntatis quam habet in acceptando vel refutando.

9 Ad secundum cum dicitur q̄ primus actus qui est in potestate nostra est deliberatio vel conclusio deliberationis dicendū q̄ hic est duplex defectus. Primus est, quia maior potest negari probabiliter: quia sicut dicitur. 2. phisicorum, ars non deliberat, imō ex defectu artis procedit deliberatio: non enim scriptor deliberat qualiter format litteram, nisi sit imperitissimus, & tamen opera artis sunt libera in potestate nostra.

10 Itē intemperatus non deliberat an debeat velle delectabilia, quia hęc accipit tanq; finē, & tamen hęc velle est in potestate sua, alioquin nō peccaret hęc volendo, quod tamen falsum est. Et si dicatur q̄ intemperatus peccat hoc volendo, nō quia illud velle nunc sit in potestate, quia nō est sic, cum qualis vnusquisq; est, talis sibi finis videatur. Sed quia a principio fuit in potestate sua q̄ in eo causaret talis habitus, vel non causaretur, sicut dicitur de illo qui inebriauit se ex culpa sua, vel incidit in frenesim, & in eis cōmisit homicidium. Non valet, quia ebrietas & frenesim tollunt iudicium rationis: & ideo quod faciunt ebrii vel frenetici nō imputatur eis ad nouum peccatū, sed totū peccatū fuit illud factum, per quod voluntarie incidunt in ebrietatem vel frenesim, & propter illud merentur tot maledictiones, quot mala sequuntur, quāuis nō peccent tempore nouo peccato. De intemperato autem non sic est, quia non amittit iudicium rationis, & potest de eo quod accipit ut finem deliberare ex altiori fine, etsi nō deliberat, sed sine deliberatione acceptat, peccat nouo peccato. & cū dicitur q̄ qualis &c. verum est inclinatus, sed nō necessario, alioquin nullus vitiosus esset curabilis.

11 Sic igitur intemperatus peccat, & tamen ille actus nec est deliberatio, nec conclusio deliberationis, ergo maior illa nō est vera. Ad probationē cum dicitur q̄ actus penitus indeliberati nō sunt in potestate nostra, dicendū q̄ actus penitus deliberati possunt accipi dupliciter. Vno modo, illi de quibus nō est deliberatum, neq; potuit deliberari, sicut sunt primi motus subiti tangentes mentem, quia nulla deliberatio humana potest esse subita, & isti non sunt in potestate nostra, nec secundum se nobis imputantur, nisi forte propter hoc q̄ potuerūt proueniri ne insurgerēt. Alii autē actus sunt indeliberati, quia de ipsis non est deliberatum, potuit tamen de eis deliberari, quia mens non solum subito eis tangitur, sed persistit: Et tales actus sic indeliberati bene sunt in potestate nostra.

12 Secundus defectus est, quia concessa maiore potest minor interiri: quia tam deliberatio q̄ conclusio deliberationis est in potestate nostra per nudas potētiās, & nō per aliquos actus se habentes ad hoc in ratione principii actui vel passui, & cum probatur quia lib. arb. includit voluntatem, verum est: sed non solum quia cum ea includit rationem, cum liberum arbitrium sit facultas rationis & voluntatis, quāuis autem deliberatio & conclusio deliberationis non sit actus elicitus à voluntate: est tamen actus elicitus à ratione, sicut electio à voluntate, & sine alio actu medio: quia nec in intellectu est simul alius actus cum deliberatione, nec in voluntate est alius actus cum electione: & ideo nullum argumentum est, deliberatio non est actus elicitus à voluntate, ergo non est actus

nuda potētiā pertinentis ad lib. arb. sicut nullum argumentum esset, electio nō est actus elicitus à ratione, ergo nō est actus elicitus à nuda potētiā liberi arbitrii, quia lib. arb. includit utraq; potētiā, & utraq; respondet pro prius actus ab ea elicitus, neq; oportet quod actus intellectus qui nō est à voluntate elicitus, sit ab ea imperatus: quia nō omnem actum intellectus precedit aliquis actus voluntatis, quāuis oporteat e conuerso.

13 Argumentum in oppositum quod concludit quod voluntas pertinet ad liberum arbitrium, concedendum est ratione conclusionis: sic tamen q̄ ipsa sola non pertinet ad lib. arb. sed intellectus cum ea & per prius, ut postea patebit. Et cum dicitur quod actus intellectus precedentes omnem actum voluntatis sunt pure naturales, nō est verum de actibus intellectus precedentibus omnem actum voluntatis liberum, quia omnem liberam electionem voluntatis precedit liberum iudicium rationis, quāuis utrunq; istorum possint precedere aliqui actus naturales, tam intellectus q̄ voluntatis, tamen quia illi actus non manent cum actibus liberis, non possunt dici causae eorum, nec actiua, neq; passiua, nec per consequens sunt liberi arbitrii.

QUESTIO SECUNDA.

Vtrum potētiā pure passiuā possit esse libera libertate arbitrii.

Secundo quaeritur, vtrum potētiā pure passiuā possit esse libera libertate arbitrii. Arguitur quod sic, quia se habere ad vtrumlibet est conditio pure passiuā (ut per cōmentatorem apparet super secundum Physicorum.) Sed liberum arbitriū ex hoc q̄ liberum se habet ad vtrumlibet, ergo ut sic est pure passiuum.

2 Item tota libertas intellectus & voluntatis est respectu determinationis actus, sed respectu illius se habet intellectus & voluntas pure passiuē, ergo libertas arbitrii potest cōpetere pure passiuo. Maior patet, quia effectus debet iudicari ex causis proximis & nō ex remotis: sed causa determinans actum est proxima, mouens autem ad exercitiū est remota: ergo actus debet iudicari liber ex his quae pertinent ad determinationem actus, & non ex his quae pertinent ad eius exercitiū. Minor probatur, quia illud respectu eiusdē nō potest esse actiuum & passiuum, sed potētiā intellectus & voluntatis se habent passiuē ad actus suos elicitos, cum sint in eis tanq; in subiecto, ergo non possunt ad eos se habere actiue.

3 Item voluntas videtur maxime libera, sed ipsa nullo modo se habet actiue ad actus suos, ergo purum passiuum potest esse liberū. Maior supponitur, & minor probatur, quia si voluntas se haberet actiue ad suum velle, hoc esset vel in quantum volūtas, vel in quantum volens, aut in quantum volens, volens se velle. Non in quantum voluntas, quia cū semper sit volūtas, semper vellet. Nec quia volens, cum nō sit volens nisi per velle, idē esset causa sui passiuus, nec quia volens se velle, quia actus reflexus non est causa actus simplicis, sed potius ē contrario, quare &c.

4 Itē aliquis actus intellectus practicus est liber, sed respectu illius intellectus practicus se habet pure passiuē, ergo pure passiuum potest esse liberū. Maior supponitur, probatio minoris, quia si intellectus practicus se haberet ad talem actum liberū aliquo modo actiue hoc esset, vel per aliquē actum intelligendi, vel per aliquid praeuiū omnino actui, non per aliquē actū intelligendi, quia duo actus intelligendi non possunt esse simul: causa autē & effectus necessario sunt simul, nec per aliquid praeuiū omnino actui, puta per nudam potētiā, vel per speciem, quia quicquid agitur à cognoscente antequam sit cognoscentis, necessario agitur, quia quantum ad hoc, cadit in gradum nō cognoscentium: sed quicquid agitur per intellectum vel aliquid existens in eo praeuiū cognitioni agitur ab intellectu, ut est nō cognoscentis, ergo non necessario agitur, ex tali ergo actiuitate nō est libertas. Restat ergo quod sufficit sola passiuitas.

5 Item illud quod comperit alicui nihil agenti, potest cōpetere pure passiuo: sed libertas comperit alicui nihil agēti, scilicet deo, qui iudicauit liberē & voluit ab eterno

Sup. d. 22.
q. 4. nu. 9.
Vide Cate.
12. q. 76.
47. 4.

q. 3. Finis
ius dist.

res fiendas in tempore, & tamen nihil egit ab aeterno, ergo libertas potest competere pure passiuo.

8 Itē immaterialitas videtur esse radix libertatis, aut igitur cum ea sufficit ad libertatē sola passiuitas, aut sola actiuitas, aut vtrunque requiritur. Non sufficit sola actiuitas, quia intellectus agens est actiuus & immaterialis, & tamen non est liber, nec requiritur actiuitas cum passiuitate, quia in deo non est passiuitas in quo tamen est libertas, ergo videtur quod aliquibus sufficit ad libertatem sola passiuitas sine actiuitate.

7 IN CONTRARIUM arguitur, quia secundū August. de libero arbitrio, Culpa est malum quod facimus, & eadem est ratio de merito: sed omnis actus liberi arbitrii est meritum vel culpa, ergo ad omnem actum liberi arbitrii habemus nos actiuē quantum ad bonum vel malum quod facimus.

3 Itē liberum arbitriū & fortuna reducuntur ad idē genus causae, nisi quod intellectus & liberū arbitrium est causa per se, fortuna verō est causa per accidens: sed fortuna reducitur ad genus causae efficientis, ergo & liberū arbitriū. Ergo pure passiuum nō potest esse liberum arbitriū. Maior & minor patent ex secundo Physicorum, vbi dicitur quod casus & fortuna sunt causae per accidens, quorū intellectus & natura sunt causa per se.

10 Item ibidem dicitur quod modorum causarum vni de principium motus, vtrunque ipsorum est, scilicet casus & fortuna, ex quibus parent maior & minor.

11 Item illud quod est perfectionis simpliciter, nō conuenit imperfecto secundum quod est imperfectum: libertas autem est perfectionis simpliciter, cum sit in deo. Passiuum autem in quantum passiuū est imperfectum, ergo nulli pure passiuo competit esse liberum.

12 RESPONSIO. Quæstio ista nō est intelligenda de libertate absolute sumpta, sed de libertate arbitrii, hæc enim differunt, quia libertas absolute sumpta est in plus quam libertas arbitrii. Nam cum libertas sit in omni natura intellectuali & in illa solum, natura autem intellectualis includit intellectum & voluntatem, ideo omnis actus ad quē concurrunt intellectus & voluntas, potest dici liber, etiam si non esset possibilitas ad oppositum actum. Quod patet per beatum Augustinum Enchi. 6. cap. vbi dicit sic: Neque enim, aut voluntas non est, aut libera dicenda non est, quia beati sic esse volumus vt esse miseri nō solum volumus, sed nequaquam prorsus velle possumus, libertas enim sic absolute sumpta solum excludit a cognoscēte & volente coactionem quæ pertinet ad feruitatem absolute & simpliciter. Libertas verō arbitrii est qua quis potest in aliquem actum vel eius oppositum contrarie vel contradictorie, & sic libertas excludit non solum coactionem sed omnem necessariā habitudinem necessariam dico necessitate absoluta.

13 Et de hac libertate procedit quæstio vtrū potentia pure passiuā possit esse libera libertate arbitrii. Ad quam dicendum est præmittēdo quandā distinctionem actuum lib. ar. Nam quidam eorum se habent ad intellectum & voluntatem vt solum ab eis imparati, sicut currere & ædificare. Alij verō vt elicitū, vt deliberatio & conclusio deliberationis & electio voluntatis. Si ergo quæretur de libertate arbitrii respectu primorū actuum qui solum sunt ab intellectu & voluntate imperati. Dicendum est quod potentia quoquomodo passiuā respectu istorum actuum nullo modo est libera libertate arbitrii. Quod patet dupliciter. Primo quia tales actus sunt passiuē & receptiuē in potentia sensituius vel in organo corporis, sed constat quod potentia sensituius vel organa corporis non sunt liberi arbitrii cum liberum arbitrium sit facultas intellectus & voluntatis, quare &c. Secundo quia tales actus nō sunt liberi nisi quia sunt liberi imperati. Sed imperans vt sic solum se habet ad actum imperatum actiuē (vt patet ex. 7. Metaph. cap. 1. & 2.) ergo potentia quoquomodo passiuā respectu istorum actuum non est libera. Et confirmatur, quia libertas arb. in Deo ad actum imperatum est pure actiuā & Deus est pure actiuus, quia nō differunt in eo quod agit & quo agit, ergo in nobis in quibus differunt quod & quo agit, licet quod agit & quod imperat possit esse passiuum secundum aliquid sui, non tamen illud quo agit vt imperat illud enim est aliquis actus qui nullo mo

do se habet ad actum imperatum vt eius susceptiuum.

14 De actibus autem elicitis est maior dubitatio, & habet solum locū in creaturis, quia in Deo nullus est actus elicitus differēs ab intellectu & voluntate nisi secundum rationē tātum (quia omne intelligere & velle diuinū est idem cū intellectu & voluntate secundū rem) & ideo vnū nō se habet ad alterū vt principij elicitiuum actiue vel passiuē, & nihilominus talis actus est liber, quia Deus nō solum vult res producere libere ita quod ly libere determinet productionem, sed vult libere producere res ita quod ly libere determinet volitionē, imō quod plus est primus sensus est falsus, & secundus est verus, quia vt dicitur. 9. Meta. potens volens necessario operatur, & loquitur de necessitate consequente, quia ad posse & velle necessario sequitur operatio volita quæ est actio imperata, & ideo si antecedens est necessarius & non liberum ergo libertas tota actionis sequentis est ex libertate volitionis præcedentis.

15 Item Hugo dicit & habetur lib. 1. Sententiarum cap. 46. vbi dicit, sic potest Deus facere aliud quam facit, & tamen si aliquid aliud faceret alius non esset, & etiam potest aliud velle quod vult, ecce quod ponit in Deo libertatē non solum quoad velle, & idem dicunt omnes sancti & doctores catholici. Ex quo patet quod de ratione libertatis in communi non est esse actiuum vel passiuum respectu actus liberi. Cuius ratio est quia vnū & idem secundum essentiam simplicem non potest esse actiuum & passiuum respectu sui ipsius, quia quod agit, agit aliud, & quod recipit, recipit aliud, sed libertas reperitur in aliqua voluntate & actu suo vbi vnū non differēt realiter ab altero (scilicet in deo) ergo ibi est libertas sine ratione actiui & passiuui. In nobis autem cōstat quod aliqui actus eliciti sunt liberi ad quos se habent intellectus & voluntas passiuē, quia sunt in eis sicut in subiecto. vtrum autem se habeant ad eos effectiue magna est dubitatio. Sed quicquid sit de hoc quia quoad nunc nolo me ad alterum de terminare, quia sine hoc quæstio procedit, vtrum. f. & intellectus & voluntas que in cluduntur in lib. arb. si sint solum potestatiē passiuē respectu talium actuum, vel sint simul actiuē & passiuē sola passiuitas sufficit ad libertatē eius, vel ad eam necessario requiratur aliqua actiuitas.

16 Ad quod sciendū est quod causa talis libertatis est connextio contingēs aliquorum volubilia ad per se & necessario volubilia, & notitia talis connexionis contingētis ex qua confurgit contingēs iudiciū intellectus in cōprobando talia vel reprobando, & cōtingens electio voluntatis in acceptando vel refutando, quia nec intellectus nec voluntas habent necessariā habitudinem ad talia, nec secundum se, cum secundum se nō sint necessario & per se volubilia, nec propter aliud, cū non habeant necessariam habitudinem ad per se & necessario volubilia.

17 Quantum ergo ad istos actus, scilicet conclusiuum iudiciū intellectus & electionem voluntatis experimus in nobis duplicem libertatē. Vna est, quia possumus hos actus habere, vel nō habere. Alia est, quia habentes tales actus nō necessario tendimus per eos in eorum obiecta, loquendo de necessitate absoluta. Et quia primum experimus in nobis, probo secundum, quia in cognoscēte & volente illi actus sunt liberi qui sunt absq. coactione & absq. necessariā habitudine potentiarum ad obiecta, loquendo de necessitate absoluta. Sed sic est in proposito, ergo &c. Maior patet, quia libertas arbitrii in cognoscēte & volente non excludit nisi coactionem & necessitatem absolutam. Minor declaratur, quia tendentia potentia in obiecta per actus tales, nec est coacta, nec necessaria necessitate absoluta. Et confirmatur ratio. Nam sicut Deus ab aeterno libere decreuit ac voluit aliqua fieri tempore, nō quia potuit habere vel nō habere actū talis iudicii vel electionis tantū ad essentiam actus, sed quia intellectus diuinus practicus & voluntas non habent necessariā habitudinem ad talia volita, sic nos habentes tales actus, libere per ipsos iudicamus & volumus aliqua fieri preter libertatē quā habemus respectu talium actuum in posse habere eos, vel non habere. Loquendo ergo de tali libertate dicendū est quod ad eam nihil per se facit actiuitas
Cuius

Cuius ratio est quia illud nihil facit per se ad libertatem, quo excluso, remanet tota libertas, & tota ratio libertatis, sed exclusa actiuitate remanet tota libertas, & ratio libertatis, ergo &c. Probatio minoris, quia talis libertas consistit in habendo talem actum respectu talis obiecti, ut dictum est, sed per hoc quod potentia agit, non habet actum quem agit, sed potius per hoc quod ipsum recipit: quia si ageret & non reciperet, sicut est in actionibus transeuntibus, non haberet ipsum: si autem reciperet & non ageret, nihilominus haberet, ergo &c. Passiuitas autem per se facit ad talem libertatem, in quantum tales actus sunt quaedam perfectiones realiter a potentia differentes, & de no modo existentes in ea, quia eos non haberet, nisi eos reciperet: recipere autem est passiuum, absolute autem loquendo nec actiuitas, nec passiuitas per se faciunt ad talem libertatem, nisi ratione materie: quia si actus esset essentialiter indifferens in nobis sicut in deo potentia non se haberet ad talem actum, nec actiue, nec passiuum, ut probatum fuit prius.

18 Loquendo autem de libertate prima per quam possunt tales actus habere, vel non habere. Dicendum est quod cum pure passiuum sit quod nullo modo est actiuum, aliquid dicitur esse actiuum dupliciter, scilicet quo ad exercitium actus, vel quo ad determinationem actus, quod est sic intelligendum, non quia actus determinatus & eius exercitium sunt duo distincta secundum rem, imo sunt idem realiter, sed illud dicitur mouere quantum ad determinationem actus quod imprimit formam vel motionem mobili, sicut ignis mouet ad calefactionem aquae, imprimendo ei calorem. Et hoc modo, ut dicunt quidam, obiecta mouent dictas potentias, scilicet intellectum & voluntatem. Illud autem dicitur mouere quantum ad exercitium actus quod applicat actiuum passiuo, sicut applicans ignem aquae mouet ad exercitium calefactionis, & in proposito illud quod applicat obiecta potentis dicitur eas mouere quantum ad exercitium actiuum, & dicuntur prima mouentia mouere ad determinationem actus, quia per determinatam formam agunt determinatam motionem, & non quamlibet. Sed secunda mouentia dicuntur mouere ad exercitium actus tantum & non ad determinationem, quia quantum in ipsis est, possunt applicare diuersa actiua passiuo, & sequitur diuersae actiones, sicut homo potest applicare manui ignem ad calefaciendum, vel niuem ad infrigidandum: determinatio autem istarum actionum est non ex applicate, sed ex determinatis formis proximorum agentium applicatorum.

19 Quod supposito dicendum est quod illud quod nullo modo est actiuum, neque quoad exercitium actus, neque quoad determinationem actus non potest esse liberum. Illud autem quod est pure passiuum quoad determinationem actus, dum tamen sit actiuum respectu exercitii actus potest esse liberum. Primum patet tripliciter. Primo sic, potentia quae de se est indifferens ad plura, & nihil penitus agit, nec agere potest ad suam determinationem, non est potentia liberi arbitrii. Sed potentia pure passiuua est huiusmodi, ergo &c. Maior patet, quia per lib. arb. intelligimus principium per quod habemus dominium nostrorum actuum, sic quod in potestate habentis tale principium, est exire in actum vel non exire, & exire in aliquem actum vel eius oppositum, sed per illud quod est indeterminate, & nihil agit, nec agere potest ad suam determinationem, non habemus talem potestatem seu tale dominium, quia indeterminate non potest exire in actum nisi determinetur, sed nihil potest determinari nisi ab aliquo agente talem determinationem, quia nihil fit nisi ab aliquo agente: per illud ergo quod nihil agit, nec agere potest ad talem determinationem nullus potest habere tale dominium super actum sequentem, quare &c. Et sic patet maior principalis rationis. Minor de se nota est, quia pure passiuum nihil potest agere, quia agere non est nisi actus alicuius actus.

20 Secundo sic, quia si per principium actiuum haberemus actum nostrum in potestate nostra modo quo dictum est, aut hoc esset, quia solum principium passiuum posset exire per se in actum, vel non exire nullo actiuo praesente, aut hoc esset, quia praesente actiuo principium passiuum habere in potestate sua determinare agens ad agere vel non agere, aut seipsum ad pati vel non pati. Primum non potest

dici, quia sequeretur quod actio esset sine agente, quod est impossibile. Nec secundum, quia determinare sic agens vel passiuum est quoddam agere, agere autem nullo modo est pure passiuum, quare &c.

21 Tertio sic maius est impedire totaliter actum quam causare remissionem in actu, sed nullum pure passiuum potest causare remissionem in actu, ergo nullum pure passiuum potest totaliter impedire actum, & ita non est liberum, cum lib. arb. sit quo possumus exire in actum, vel non exire. Maior patet de se, sed minor probatur: quia pure passiuum cum non habeat aliquam resistentiam ad agens, neque ad formam recipiendam, recipit eam secundum totam capacitatem sui, & secundum totam virtutem agentis, si sit agens ex necessitate naturae, & sic non est remissio in actione, sicut patet in aere summe disposito ad receptionem luminis, ideo &c. Et sic patet primum, scilicet quod potentia pure passiuua respectu exercitii actus & determinationis eius non est libera.

22 Secundum patet, scilicet quod potentia quae est passiuua respectu determinationis actus, dummodo sit actiua respectu exercitii, potest esse libera, quia ille in cuius potestate est applicare, vel non applicare actiuum passiuo, & impedire applicationem quae posset fieri ab altero habet in libertate sua actum sequentem, & maxime si potest applicare actiuum secundum aliam & aliam rationem actiui: sed per intellectum & voluntatem in quibus consistit liber. arb. habet hominem potestatem applicandi vel non applicandi ea quae agunt intellectionem, vel volitionem, & secundum aliam & aliam rationem boni vel mali, appetibilis vel respuitibilis, & impedire applicationem quae fieret per alium, ergo per intellectum & voluntatem, ut habent actiuitatem respectu exercitii actus applicando actiua passiuo, vel in posse applicare vel applicationem impedire habemus libertatem respectu actiuum nostrorum sequentium.

Maior patet, quia nullus actus potest esse, nisi actiuum sit prius passiuo, sit etiam secundum formam actiui, quae est ratio agendi. Et ideo quod habet potestatem super applicationem vel non applicationem actiui ad passiuum secundum aliam rationem agendi, habet libertatem super actum sequentem, verbi gratia, in potestate nostra est applicare nobis ignem vel nos igni, & si alius applicet impedire, & si esset in potestate nostra quod ignis applicatus esset calidus vel frigidus, certe in libertate nostra esset calefieri vel non calefieri, & sic patet maior. Minor similiter manifesta est, quia vires inferiores sensitiuae quae ministrant obiectum intellectui & voluntati naturae sunt obediunt imperio rationis & voluntatis, quantum ad exercitium actus.

23 Iuxta quod sciendum est propter pleniorum intellectum, quod illud per quod habemus talem potestatem est iudicium intellectus quo iudicat aliquid esse contingenter volubile, & non habere necessariam connectionem cum aliquo per se & necessario volibili. Et rationabiliter, quia sicut dicit Ansel. de libero arb. in principio, quauis liberum arbitrium in nobis & in deo differat, ratio tamen libertatis est una: sicut ergo in deo ratio libertatis consistit in notitia quam Deus habet de contingenti connectione creaturarum cum bonitate sua quae est ab ipso per se & necessario volita. Sic ratio libertatis in nobis consistit in notitia quam habemus de contingenti connectione aliquorum volibilium ad per se & necessario volibilia a nobis.

24 Quod potest videri per hunc modum. Ex hoc enim quod tale iudicatur non necessarium, possumus sistere a iudicio concludente illud esse eligendum, & per idem principium possumus repellere occurrence quae nata essent secundum se concludere illud esse intelligendum, nisi illa occurrence mutarent contingentiam in necessitatem: verbi gratia, supponamus gratia exempli quod transire aquam sit a me necessario volitum: possum autem eam transire per pontem vel per nauem, & non aliter, certe cuiusque hoc occurrit, iudicat quod transire determinate per pontem, non est necessarium, sed contingens, similiter transire per nauem non est necessarium, sed contingens, quantum sub disiunctione & indeterminate necessarium sit transire per alterum. Ex hoc ergo quod intellectus iudicat quod neutrum secundum se acceptum est necessarium ad transendum aquam potest

potest intellectus sistere q̄ non procedatur ad consentum transeundi per istud determinatē, & per idē potest repellere omnia occurrentia que possent mouere ad consensū, nisi mutarent contingentia in necessitatē: puta si pons caderet tunc enim transire per nauem, quod erat prius contingens factum, esset necessarium, sed manente contingentia & possibilitate vtriusq̄ medii, omnia occurrentia possunt repelli per hoc q̄ semper iudicabitur non necessarium quocumq̄ addito, & ideo potest dimiti vel actus suscipiendi quo iudicatur tale medium determinatē eligendū, quia sine eo potest haberi finis: q̄ si aliquid tale medium eligitur, liberē eligitur, quia potuit nō eligi ratione iam dicta. Rursum quia non solum iudicamus quodlibet istorū mediōrū esse contingens accipiendo quodlibet secundum se sed iudicamus alterum necessarium in vniuersali & indeterminate, ideo necessarium volumus indeterminate alterum istorū, & propter hoc sicut in potestate nostra est sistere vel suspendere conclusiuum iudicium vtrius vel illius determinatē, sic in potestate nostra est per eundem actum cū voluntate prædicta mouere ad inquirendum quod illorū mediōrum acceptabit, vt melius ex quo alterum oportet acceptare, quæ inquisitio fiet imperando exercitium virtū inferiorum ministrantium obiecta intellectui & voluntati sub diuersis rationibus appetibilibus vel respicibilibus, omnibus tamen contingenter se habentibus: & ideo semper impedibilibus. Et sic patet q̄ libertas in nobis dependet ex aliquo principio actiuo, & quid sit illud.

25. Sed hic insurgit vnum dubium: quia si libertas est in nobis respectu exercitii actus, quia exercitium imperatur per actus intellectus & voluntatis, tunc illud per quod habemus primū dominium nostrorū actuum nō est potentia, sed actus vnus vel plures: cum ergo liberū arbitrium dicatur illud principium per quod habemus dominium nostrorū actuum, sequitur q̄ liberum arbitrium non erit potentia, sed actus cuius oppositum dictum fuit in prima questione. Ad quod dicendum est quod non omne illud quod necessario præexigitur ad actum liberum, potest dici liberum arbitrium. Sed oportet q̄ sit principium actus liberi arbitrii, actiuum vel passiuum. Tale autē principium non potest esse aliquis actus intellectus vel voluntatis, quia principium actiuum vel passiuum simul est cum actu: vnus autem actus intellectus non est simul cum alio actu intellectus, & idē est de voluntate. Et ideo nullus actus potest esse lib. ar. quia illud nō est per se principium alteri, nec actiuum, nec passiuum. Et ponitur exemplum, Aliquis vult sanitate secundum se. Postea occurrit quod nō potest eam habere, nisi mediante potione. Et ideo eligit potione quam nunquā elegisset, nisi propter sanitate quā vult, nunquid actus quo vult sanitate, est principium effectiuum, vel passiuum electionis medicine? Certē nō, quia vel sunt idē actus, vel duo. Si vnus & idē non est ibi causalitas, quia idem non est causa sui ipsius. Si duo tunc non possunt esse simul, & sic vnus non est causa effectiua, vel receptiua alterius, quia causa & effectus sunt simul, & tamē actus eligendi potione processit ex actu volendi finem. Et similiter in proposito, licet aliquis actus necessario præexigatur ad actum liberalem, non est tamē causa eius actiua vel passiuā. Et ideo non est lib. ar. Est enim necessaria suppositio inter multa, que non se habent sicut causa & effectus.

26. Ad rationes principales respondendū est. Ad primū dicitur q̄ se habere ad vtrumlibet, & nihil posse agere ad suam determinationē, est conditio purē passiuā, & tunc minor est falsa, quia quauis lib. ar. se habeat ad vtrumlibet, tamē aliquid agit ad suam determinationē, & ideo non est purē passiuum.

27. Ad secundum dicendum est per interemptionē maioris. Et cum probatur q̄ effectus iudicatur ex causis proximis, & nō ex remotis. Dicendum est quod iudicium de effectu quātum ad conditionē necessitatis & contingentie sumitur ex omnibus causis, tam proximis q̄ remotis, quia ad necessitatē effectus requiritur q̄ omnes causæ sunt necessarie. Ad contingentiam autē eius sufficit q̄ altera sit contingens, nec refert quæ sit illa, proxima, an remota: sicut in syllogisticis conclusio est contingens: si altera præmissarum sit contingens siue maior, siue minor. Et ideo contingentia actus liberi potest esse ex sola causa remota.

28. Ad tertiam dicendum q̄ voluntas potest se habere ad actum suum liberum aliquo modo actiue, inquantum per intellectum & voluntatē potest suspēdi actus electionis & iudicij correspondētis, vt declaratū fuit prius. Et cum probatur quod non, quia si voluntas se haberet actiue ad suum velle, hoc esset aut inquantum voluntas, aut inquantum volens: aut inquantum volens se velle: dicendum quod actiuitas quæ sufficit ad libertatē, non requirit actualiter agere, sed sufficit posse agere quod non agitur, vt in peccato omissionis: vel posse non agere quod agitur, vt in peccato commissionis. Tale autē posse est in intellectu & voluntate per aliquos actus præcedētes actus liberos, & sic per velle liberum nō habet actiuitatē ad illud velle, quia idē esset causa sui ipsius. Sed per velle necessarium quod præcedit, non quia illud sit causa actiua immediata, sequētis velle. Sed quia per illud prius potuit suspendi actus iudicij & actus volendi. Et ideo imputatur nobis ex eo q̄ impedire potuimus, & non impediuius.

29. Ad quartam dicendum per interemptionē minoris, quia intellectus practicus licet esse purē passiuus respectu actus liberi quātum ad terminationē, actus habet tamē actiuitatē respectu exercitij. Et cum probatur quod non, quia illam actiuitatē haberet per aliquē actum intelligendi, vel per aliquid preteritum omni actui. Dicendum q̄ per actum aliquem intelligendi qui non est simul cum actu intelligēdi libero. Et ideo nō est causa eius effectiua immediata, sed est primus tanquam potens impedire, vel nō impedire actum sequentem.

30. Ad quintam dicendum est quod illud quod competit alicui nihil agēti nec potenti agere, potest competere purē passiuo, sed lib. ar. non est huiusmodi etiam in Deo, quia licet Deus nihil egerit ab æterno, habuit tamē potentiam ab æterno per quam potuit agere quod non egerit. Item libertas in Deo non est ad habendum actum vel non habendum.

31. Ad sextam dicendum q̄ ad libertatē in nobis non sufficit immaterialitas cum actiuitate. Sed requiritur q̄ potētia libera sit immaterialis, & aliquo modo actiua, & cum hoc sic cognoscens vel sequens cognitionē. Et quia intellectus agens non est cognoscens, nec sequens cognitionē, ideo non est liber quauis sit immaterialis & actiuus si tamē sit aliquis talis intellectus.

32. Ad argumenta alterius partis similiter respondendum est. Ad primū cum dicitur q̄ culpa est malum quod facimus dicendum est q̄ dñm culpa sit malum imputabile sufficit q̄ ad culpam sic nos habeamus actiue q̄ ad nos bis debeat imputari. Hoc autē est per actiuitatē quam habemus respectu exercitij actus dato q̄ nullā haberemus respectu determinationis.

33. Ad secundum dicendum quod lib. ar. quantum ad actus exteriores imperatos & fortuna reducuntur ad idē genus causæ videlicet efficiētis quia respectu actuum imperatorum lib. ar. nullo modo habent rationē passiuā, sed respectu actuum elicitorum est aliud vt patuit in deductione questionis.

34. Ad tertium patet per idē quod libertas non competit purē passiuo nisi sit aliquo modo actiuum vt declaratum fuit.

QVÆSTIO TERTIA.

Vtrum respectu actus intelligēdi sit in nobis maior libertas quā respectu actu volēdi, an e contrario.

Thom. 1.2. q. 17. ar. 1. ad 2.

Tertio queritur respectu cuius actus sit in nobis maior libertas, scilicet an respectu actus intelligēdi, an respectu actu volēdi. Et arguitur quod respectu actus volēdi, & per consequēs quod voluntas sit liberior, quia primus actus lib. arbitrii est electio. Sed electio est magis actus voluntatis q̄ intellectus, ergo voluntas est magis libera quā intellectus.

2. Secūdo quia in potentiis ordinatis posterior est perfectior. Sed intellectus & voluntas sunt potētie ordinatæ, & voluntas est posterior intellectu, ergo est liberior, quia liber